

CXXII.

Anno 1398. In Diako.

Sigismundus Rex Nicolao de Gara, Bano, ejusque fratri Joannni insulas Absarum et Cherso una cum omnibus earundem proventibus donat.

Nos Sigismundus, Dei gratia rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc., Marchioque Brandenburgensis etc., notum facimus vniuersis, quibus incumbit, per presentes: Quod quia nos exigentibus, imo plurimum requirentibus fidelissimis obsequiis, gratissimis complacenciis, strenuosis actibus et gestis virtuosis, laude dignisque et preconio attollendis meritis viri magnifici Domini Nicolai de Gara, dictorum regnorum nostrorum Dalmacie et Croacie, nec non Sclauonie Bani, ac Johannis, fratris eiusdem vterini, filiorum scilicet condam Domini Nicolai Palatini Gara de predicta, per ipsos sacro diademati, et per consequens nostro regio culmini ac toti regno nostro, vti cunctis liquet, cum suprema fidelitatis constantia, temporibus et locis opportunis, intrepide exhibitis et impensis, eisdem ac eorumdem heredibus quandam insulam nostram regiam Absary et Kersy appellatam, in regno nostro Dalmacie infra ambitum maris existentem, cum quibusuis eiusdem vtilitatibus, integritatibus, aliis litteris exinde confectis mediantibus, nostre regie noue collacionis titulo perhempniter et in eum perhibemus contulisse. Ideo etiam nos volentes eisdem fidelibus nostris pro eorumdem multimodis, plurimis et vberrimis fidelitatibus et fidelium obsequiorum eorumdem laude dignis meritis, in prefatis aliis litteris nostris seriosius et clarius explicatis, regio ampliori respondere donatiuo, tricesimam nostram insula in prefata exigi consuetam, nec non cameram salium nostrorum regalium maritimarum, in dicta insula vendi solitorum, simul cum obuencionibus et emolumentis ac iuribus vniuersis, ad prefatas tricesimam et cameram salium nostrorum rite pertinentibus, veluti de nostris regiis manibus memoratis Domino Nicolao Bano et Johanni fratri suo carnali, ipsorumque heredibus, heredumque cunctis sobolibus et successoribus vniuersis, premissis noue nostre donacionis titulo, auctoritate regia, ex certaue nostre Maiestatis sciencia, de Prelatorum et Baronum nostrorum consilio prematuro dedimus, donauimus et in eum contulimus, imo damus, donamus, perhempniter et effectiue conferimus, per ipsos, eorumque heredes et posteritates vniuersas perpetuo et irreuocabiliter possidendas, tenendas, pariter et habendas, pleno iure, patrocinio presencium mediante, sine duntaxat preiudicio iuris alieni. Presentes autem in specie, dum nobis fuerint reportate, easdem in nostri priui-